



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Capvt CLXXXI.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

Dicebat nobis & hoc de ipso idem venerabilis Dionysius Presbyter, quod die quadam ambulabat senex in finibus villæ Sochus, ubi erat spelunca ipsius, ambulansque leonem vidit ingentem è regione venientem. Pergebat autem in via valde angusta inter duas sepes posita, quibus agricolæ rura sua munire consueverunt, spinosas frutices plantantes. Tantam verò semita illa præsentibus angustiam habebat, vt vix vnum aliquem vacuum, & expeditum pedibus incedentem susciperet, & ne illum quidem sine impedimento liberè transire permetteret. Cùm ergo sibi inuicem appropinquassent senex, & leo, neque senex retro redijt, vt leoni transitum liberum daret, neque propter nimias semitæ angustias leo reuerti poterat, neque vtrumque simul transire omnino possibile erat. Videns igitur leo Dei seruum procedere volentem, & nequaquam retro redire sustinentem, erexit se in posteriores pedes, erectusque stans ad leuam senis, pondere, ac viribus corporis repulsa maceria, modicam seni latitudinè præstitit, iter sine impedimento iusto viro præbens. Atque ita transiit senior dorso leonis perficans. Post cuius transitum exurgens de sepi leo peregit & ipse iter suum.

AD hunc Abbatem Ioanem pergens frater quidam, cùm nihil in spelunca illius inuenisset, ait seni: Quomodo hic moraris, pater, non habens quæ sunt necessaria? Respondit senex, & ait Spelunca ista, fili, spiritualis mercatura est. Dat, & accipit.

Ecce quomodo etiam immanes bestie sanctos Dei recognoscunt, eisque beneficia impendunt.

Vita Abbatis Alexandri Cilicis, qui prope mortem à demone arreptus est.